Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26346
Copyright: Admont, Benediktinerstift

stinauit te deus. et quod labore et abstinentia saluandum esses.
hoc ipsum predestinauit. Noli obiurgando uelle resistere
predestinationi. sed gratias age gratuite electioni. Me-
ministi te hesterna die legisse. Vide si memoria tua
facit uim actioni preterite. et uidebis si scientia dei infert
necessitatem actioni future. Ipsi honor et imperium in secu-
la seculorum amen. In Epyphania.

Cum natus esset etc. Oratores scilicet ad persuasionem cau-
sarum septem circumstantias suo negocio aptare
solent. Inducunt enim in argumentum sue cause: personam.
negocium. locum. tempus. modum. causam. suffragia. Simi-
li ratione spiritus sanctus per matheum causam saluatoris nostri astipu-
lare et confirmare uoluit. ut omnibus salutifere incarna-
tionis persuaderet fidem. Proposuit exordium cause sue
tamquam orator industrius. quod natus esset dominus ihesus. Deinde sup-
ponit ad hoc probandum vii pronominatas circumstantias.
id est quis. quid. ubi. quando. quomodo. quare. quibus adminiculis.
Nemo euangelia dei rusticitatis arguat. ueniat et inue-
niat quod miretur immo quod preconetur. rethorice facundie
ornatum. Cum nominat ihesum. commendat personam. quod in eius
nomine saluos oporteat fieri credentes. nam illud nomen
salutem sonat. et indicat salutis auctorem. Cum dicit
natum esse. proponit negocium circa quod uersatur eius inten-
tio. Cum supponit in bethlehem iude. exprimit locum. et
singula ista uaticinio prophete micheę confirmat. bethle-
hem alloquentis. Et tu bethlehem etc. Cum adiungit